

*nonicae. Josue c. 22. post verba v. 19. Quod si putatis, nescio cur, relictum est spatium pro verbis: immundam esse. Psalmi foliis literis majusculis initiorum distinguuntur. Machabaeis praefixi sunt noti Prologi Rab. Mauri ad Ludovicum Regem et Geroldum Archidiaconum. Epistolis Pauli ad Titum et Philemonem interjecta est spuria ad Laodicenses, sola carens Argumento praevio. Testimonium I. Job. 5. ita conceptum est: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater verbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt (e margine inseritur: et tres sunt) qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. Terminat Codicem Index Epistolarum et Evangeliorum in Ecclesia per annum legi solitorum, in quo dies Roberti Abbatis, et Index Vocum hebr. et graecarum; ille manu Sec. XIV.*

## IX.

U. 560 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 517. 8. paene quadro per duas columnas caractere valde minuto sed elegantissimo perscriptus, coloribusque illustratus et quondam Job. Fabri Ep. Vindob. exhibet *Sacra Biblia* vulgatae Interpretationis Prologis Hieronymianis instructa, et quidem *Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth*, IV. Libros *Regum, Paralipomena, Esdrae L. I. Nehemiam, Esdrae L. II.* nempe tertium apocryphum, *Tobiam, Judith, Esther.* Dein *Jobum, Psalte-*

*rium, quod inscribitur Liber hymnorum uel soliloquiorum quadruplex dauid de christo, Parabolas Salomonis, Ecclesiasten, Cantica, Sapientiam et Ecclesiasticum, tum Isaiam, Jeremiam cum Tbrenis et Baruch, Ezechielem, Danielem, XII. Prophetas minores, Libros II. Machabaeorum cum Rabani Prologis ad Ludovicum Pium Imp. et Geroldum sacri Palatii Archidiaconum. Fol. 425. p. 2. orditur Novum Testamentum a IV. Evangelistis. Succedunt Epistolae Pauli, Actus Apostolorum. Epistolae VII. Canonicae, et Apocalypsis, cujus ultimae membranae a C. XIII. v. 11. excidere. Gen. III. v. 15. legitur: Ipsa conteret caput tuum &c. Machab. II. c. 12. v. 46. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare &c. Job. C. VIII. habetur Historia Adulterae. I. Job. c. 5. v. 7. a prima manu sic: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater verbum et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt, qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis.*

## X.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3298 XIV. Folior. 368. f. max. per duas columnas pulchre exaratus, coloribus illustratus, et Librorum initis deauratis, atque picturatis continet *Sacra Biblia* vulgatae Versionis. Labor Miniatoris perfectus tantum usque ad *Paralipomena* pertingit; hinc usque ad *Isaiam* sola figurarum linearis designa.